



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 23. in immemores passionis dominicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

scio quem senem in littore maris confidentem à Præfecto navis, cum hic navi exenderet, aliquid edulij rogavisse; respondit durius præfectus: apage capularis Senecio, nihil nos in navi præter lapides vehimus, cui modestè Senex. si ita: servet ergo Deus vestros lapides, & ecce quidquid esculentorum, quidquid fructuum, dactylorum, olivarum, faccari, aromatum in navi erat, momento in lapides convertum est, servatâ tamen priori formâ & colore. senex verò reperiri nusquam potuit, vidit & attrectavit ipsemet Episcopus Gregorius fructus complures, & in plurimas civitates mitti fecit, ut lapidea corda hæc lapidibus contererentur. ipso dæmone longè deteriores dixerò, quotquot egenis panem negant, & pro pane lapides imprecantur; dæmon enim famelico Christo lapides obtulit in panem convertendos, hi verò panes, quos porrigere paupe-

ribus deberent, in lapides & duriora lapidibus verba ac scommata convertunt.

Finiant dictionem hanc meam gravissimis sententiis suis S. Gregorius Nyssenus & D. Aurelius Augustinus: *digna sementi tuae messis; acerbitatem seminasti, collige manipulos. fugisti misericordiam, fugit te misericordia. abominatus es & fastidisti egenum, fastidiet te qui propter te egenus fuit.* Hæc S. Gregorius Nyss. orat. 6. de beatitud. Augustinus verò Deum judicem ita loquentem inducit: *Quid faciam tibi? elemosynas non fecisti, quæ peccatorum tuorum pœnas exstinguerent: interveniant pro te pauperes & quidquid petieris, dono, sed iusto iudicio tibi vicem reddo: quia iudicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam.*

§. 7.
gententia
SS. Gregorius
Nyls.
caï & Au-
gustini.

S. Aug. ser-
227. de
temp.



PHILIPPICA XXIII.

In Immemores Passionis Dominicæ.
DOMINICA PASSIONIS.

Vos dicitis, quia Deus vester est, & non cognovistis eum.

Ioan. 8. v. 54. & 55.

§. I.
Oblivio
crucifigen-
da.



Tinam in hoc Templo hæc horâ redde-
re in scenam possem
spectaculum, quod
Ferdinando Tertio
Augustissimæ me-
moriam Imperatori ad singularem a-
nimorum compunctionem exhi-
bitum fuit, cum is pro avita pieta-
te die parasceves sepulchrum Do-
mini Vieñæ in Ecclesia Societatis in-
viferet. Prodibat elegans pufio Cæ-

farei odæi phonascus Amorem Di-
vinum referens, trahebátque post
se JESULUM cruce oneratum, &
mori denuò paratum, cui obviam
facta oblivio quærit: quid hoc sibi
velit spectaculum? cur renovari
crucis oporteat supplicium? ad
quid crucifigendus denuò Filius
Dei? respondit Amor, oblivionem
in causa esse, cur crucem rursus su-
bire Amator hominum velit; jam e-
nim veterem passionem ex animis
exci-

excidisse, & Iesum antiquum hodie, velut cramben repeti debere: *Iustus perit, & non est, qui recogitet in corde suo* Is. 57. v. 1. Jubet proinde oblivionem Amor spectaculo interesse, & fixis oculis renovatam crucis catastrophem contueri. quâ peccatâ in oblivionem ex improvise Amor irruit, eamque cruci alligat, ut velit nolit, à crucis recordatione recedere non possit. Simile spectaculum minimè fictum, sed vivaciter, veraciterque objectum Petro Apostolo fuit, cum is Neronianis liber vinculis mortem effugere conaretur, fugienti enim obviam cum cruce Iesus venit, dixitque: *vado iterum mori*, ut videlicet mortis suæ memoriâ vivacius Petro imprimeret, atque ad commoriendum; Salvatori suo animaret. O quoties bonum IESUM denuò pati, & mori vellemus, qui mortis semel obitæ non totis modò dieb, sed hebdomadis, sed mensibus poenè, & annis immemores vivimus, neque ullâ sincerae gratitudinis, & commiserationis contestatione significamus vegetam in nobis Iesu patientis memoriam conservari. ad quam feliciter refricandam stylo mihi opus est ferreo in ungue adamantino, ut Jeremias loquitur, quanquam aureum mallem in corde amanti, & magnetico.

Jer. 17. v. 1.

§. 2.

Continuam passionis Dominicæ memoriâ inculcans gentium Doctor ita monet Heb. 12. v. 3. *recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut nè fatigemini.* non obiter, sed accuratè passionem expendi vult, cum ait: *recogitate*, quasi dicat: iterum, iterumque revolvite auctorem fidei, & vitæ, ac consummatorem omnium bonorum Iesum, qui desideratus à Patribus, prænuntiatus à prophetis, decantatus in psalmis, ab Angelis, Pastoribus,

Magis adoratus, adversus semetipsum non coactus, & invitus, sed paratus atque avidus contra dictionem talem à peccatoribus sustinuit, qualis ab origine mundi audita non fuit, nec ullis unquam verbis exprimi, imò nè mente quidem concipi unquam poterit. Hanc velut animalia munda ruminant, aut velut terrestres Cherubini sine mora, sine tædio repetite, ut nè fatigemini in quotidianis vitæ mortalis ærumnis, sed durare in adversis & rebus vosmet servare secundis valeatis, aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, salute scilicet animarum vestrarum (ut Theodoretus exponit inquit: *Christus gaudium suum vocat animarum salutem*) sustinuit crucem ad animandum suo exëplo universos, ut proposito sibi immortalis vitæ gaudio sustineant crucem, suumque sequantur Imperatorem, qui, ut loquitur Chrysostomus, *non gloriosus, indutus purpurâ, diademate decorus, aspersus auro, solio sublimis, sed in campum egrediens, connivens vultu, & honore ultimus, periculis primus, onustus ferro, gravis armis, pro patria pro civibus pro liberis pro vita omnium premit hostem, discrimina despicit, contemnit vulnera, ipsam libens mortem suorum suscipit ad salutem.* Sic enim Christus de sinu Patris ad nostram venit servitutem, ut nos sue redderet libertati, mortem nostram suscepit, ut nos ejus morte viveremus. Vivem porro morte Christi, si seridè eandem recogitare libuerit, quam præ omnibus aliis mysteriis expendi à nobis benignissimus Servator desideravit, dum in cœna novissima sacrificium incruentum instituit, quo passionis beneficium diebus singulis ante oculos hominum proponeretur. Nec Eucharistia duntaxat in memoriâ

Chry. soft.
serm. 6. de
fer. 5. pas-
sion. tom.
3. in fine.

Q

pas-

passionis instituta est, sed & sacramentorum omnium janua baptismus, de quo Apostolus: *an ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius baptizati sumus.* Rom. 6. v. 3. malè baptismum suum custodit, qui passionis memoriam amittit; *in mortem ipsius baptizati sumus.* nè speret immortalem cum Christo vitam, qui jugem mortis ejus non conservat recordationem; *in mortem ipsius baptizati sumus*, tunc genuini Christi affectu esse incipimus, cum in cruce Domini gloriamur, & in memoria passionis ejus exultamus.

S. 3.
Memoriam
Passionis
desiderat
à suis
Iesus.

Ut memoriam sponsi sui crucifixi nunquam ex animo sua dimitteret, fasciculo myrrhæ eundem assimilavit, inque sinum cordis sui reposuit: *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.* Cant. I. v. II. non patitur vel brevi tempore sponsa è memoria sibi dolores passionis excidere, quia horum recordatione novit se ad intimos sponsi amplexus pervenire: *inter ubera mea commorabitur.* adeone svaavis myrrha est, inquit recentissimus & ingeniosissimus canticorum interpret, ut eam sponsa in suo reponendam duxerit pectore? nimirum non svaavis myrrha, sed svaavis dilectus, qui & myrrham prælibavit in cruce, & in myrrha latere creditur. *Tu quoque si sapis* [subjungit D. Bernardus ferm. 43. in Cant.] *imitaberis sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum fasciculum de principatu tui pectoris nè ad horam patieris avelli; amara illa, quæ pro te pertulit, semper in memoria (notemus verba) retinens, & assidua meditatione revolvens.* Desiderat id ipsum unicè sponsus, qui sponsam amantissimè alloquitur, & cordi ejus immorari desiderat: *pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum su-*

Joannes
Paulus O-
liva in c. I.
Cant. p. 15.

Cant. 8. v.
6.

per brachium tuum, vel ut Chaldæi legunt: obsecro te pone nos sicut sculpturam annuli super cor tuum, & sicut sculpturam annuli super brachium tuum; cujus postulati sui causam mox adjungit: *quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus emulatio.* tã fortis mors est, ut nemini parcat, nec marmorib°, nec ferro, nec adamãti, sic Christi invicta charitas nulli dolori, nulli labori, nulli tormẽto, nulli sudoris vel sanguinis guttulæ pepercit, effudit omnes, sustinuit omnia ut nostram eblandiretur dilectionem. *dura sicut infernus emulatio:* non dimittit infernus, quos finu semel suo recipit, sic ab amore, & beneficiis suis non repellit Iesus, quos semel in apertum lateris vulnus includit, si præfertim ab iisdem reciprocè in memoriæ sinum, & amoris affectum includatur. ponatur ergo Dilectus tanquam signatorius anulus super cor, ut sculptura vulnerum & plagarum ejus, nunquam à mente recedat, ponatur & super brachium, ut opere ipso comprobemus memoriam patientis Sponsi firmiter animis nostris inhærere, itã namque mortem non timebimus, neq; ullo à mala illa bestia afficiemur damno, sed neque ab inferni duritie quidquam patiemur, æmulator enim & zelotes salutis nostræ idẽmque invictus inferni, ac mortis domitor Homodeus fatali metu, feralique damno eos affici non sinet, quorum se cordibus, & manibus per meditationem ac imitationem assiduam firmiter insculptum esse deprehendet. Pulchrè Justus Orgeitanus: *primitus super cor, deinde super brachium signaculum superimponendum intellige, ut tam in cogitatione, quàm in opere ad meum signum recurras. quia fortis ut mors Dilectio tui; in tantum dilexi te, ut mori voluerim pro te: hæc erat fortitudo amoris,*

mors acerbitas mortis, dura autem sicut infernus emulatio, ut sancti quoque è contrario pro Christo occidi non metuant, quem pro sua salute mortem suscepisse sinè dubio cognoverunt.

§.4.
Seraphi-
ni in cœlo
crucifixi
formam
exprimūt.
S. Germ. o-
rat. de cru-
ce apud
Gretser.

Seraphinos in cœlo formam crucis repræsentare observat D. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus. de illis enim oculatus testis Isaias affirmat, quòd geminis velent faciem alis, totidémque pedes, duabus autem volent; in qua alarum extensione simulachrum crucifixi effigiant, quia nihil Deo gratius, quam crucifixi memoriam repræsentari bellissimè noverunt. Seraphinus fuit, qui beatissimo Francisco quinque vulnera tanquam signaculum similitudinis impressit: memoriam enim Iesu crucifixi exprimere in se, imprimere alijs, supremorum Angelorum gloria, & voluptas est. Audiatur D. Germanus ita Iesum crucifixum alloquens: *Et illi qui tuæ gloriæ, ac sceptro regali assistunt, tibi conformari, Et novâ quadam ratione, imitatione tui gloriantur, contractis quidem alis superioribus, Et inferioribus, expansis autem utrinque medijs, Et in formam crucis volantes, sinè intermissione victoriæ laudes, Et præmia decantant.* si Angelici spiritus tanto amoris affectu generis nostri redemptionem prosequuntur, & recolunt, quorum tamen naturam hypostatica unione dignatus Deus non est, nusquam enim angelos apprehendit Hebr. 2. quid nos viles homulos facere par est, qui aliter immensi memoriam beneficij pensare non possumus, quam jugi recordatione, & actione gratiarum? Prænuncijs Dominicæ resurrectionis angelus Regem gloriæ alio nomine non decorat, quam crucifixi: *Iesum queritis Nazarenum crucifixum* Marc. 16. v. 6. non potuisti dicere (inquit D. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 13.) ò an-

gele, scio quem quaeritis Dominum meum? cur crucifixum potius, quam Dominum appellat? respondet Cyrillo Chryfologus serm. 76. *Angelus prædicat nomen, crucem dicit, loquitur passionem, post sepulchrum agnoscit Dominum, suam loquitur servitutem.* novo sese titulo servum agnoscit Angelus; quia Iesus pro homine, cujus custodia Angelicis hierarchijs demandata, est crucifixus. *non erubescit crucifixi nomen* (verba Victoris Antiocheni in c. 16. Marc.) *hoc uno enim nomine, Et re omnium bonorum nostrorum summa continetur.* Summam bonorum omnium habet, qui crucifixi vegetam conservat suo in animo memoriam. Verùm ut de bonorum copia taceam, quæ de recordatione crucis pro manare solet uberius, quam ex percussione petræ per virgam, crucis typum, aquarum guttæ profluxerint, de malis duntaxat eloquar, quæ passionis memoria averuncat.

Cur Job holocausta pro filijs suis quot diebus obtulerit: *offerebat sacrificium, Et vitulum unum pro peccato*, ut cum 70. legit Chryfostomus (Job. 1. v. 5.) causam elegantissimam reddit Origenes: *propterea vitulum illum coram filiis suis pro peccatis jugulavit, ut vidente filij ipsi, quod pro alienis peccatis ille vitulus jugulatus moreretur, metuentes, Et paventes essent ab omnibus peccatis, quæ animas perimunt, Et dilacerant.* Si vituli occisio efficacissimum peccati antidotum Jobo visum est, quid faciet divinis Agni passio, & mors serio recogitata? Ebrietatis insimulati die Pentecostes Apostoli sic à Petro defensi sunt: *non enim sicut vos existimatis hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia* Act. 2. v. 15. cur horam tertiam allegat? quia horâ tertiam ad crucem postulatus & linguis Judæorum crucifi-

§.5.
Memo-
ria passio-
nis fugat
peccatum.

xus est Iesus: *erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum* Marc. 15. v. 25. non potest cadere in eos ebrietas, aut quodvis aliud peccatum, apud quos Dominicæ mortis est repræsentatio. quid Saxeum cor Judæ emollit, ut malèartos nummos abjiceret, & innocentiam Magistri sui contestaretur? vidit is per triennium ingentia miracula, audiit divinam Salvatoris doctrinam, vitam inculpatam, & mores integerrimos quoddammodo contrectavit, proditorem nihilominus innocentissimi Domini sui nefariè molitus est; at verò ubi damnatum vidit, pœnitere cœpit, & quem tot miracula, tot exempla, tantæ doctrinæ emollire non potuere, aspectus, & memoria patientis subjugavit, ut compunctus exclamaret: peccavi! *tunc videns Judas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentiã ductus retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum & Senioribus dicens: peccavi tradens sanguinem justum* Math. 27. v. 5. quid est (inquit Orator aureus homilia de prodicione Judæ tom. 3.) quid est, quando ab eo mirabilia gerebantur, non dixisti: peccavi tradens sanguinem. Sed: quid vultis mihi dare? Ego vobis tradam eum? & post completam proditorem, post perfectum peccatum cognovisti peccatum? nimirum efficacior ad movendum est Christi patientis memoria, quàm quæcunque miracula. expectasset utinam Judas passionis Dominicæ consummationem, & pro inimicorum salute deprecationem, audet dicere D. Gregorius ad feriam animo pœnitentiam, & peccatorum veniam permovendum fuisse. Vidit Petrus linteum cœlo demissum immundissimis plenum animalibus, quæ tamen occidere, & manducare jubetur: *surge Petre occide, & manduca.* Act. 10. v. 11 quomodo venenatæ, efferatæque

bestiæ ita mitescunt, ut innoxie absumi possint? in linteis sunt, quò corpus Christi de cruce depositum, à Joseph involutum & passionis memoriã signatum fuit, hinc in eam lenitatem & dulcedinem buffones, & bubones immutantur, ut Petri sapiant, conducantque palato. audiatur D. Hilarius Can. 33. in Matth. *Joseph mundã sindone corpus Iesu involvit & quidem in hoc eodem linteis reperimus de cœlo ad Petrum uni verforum animantium genera submissa.* nihil venenatum in brutis, nihil noxium ac ferum remanet, ubi signa Dominicæ mortis comparent. Amicè in Arca Noë lupus & agnus, columba & accipiter, lepus & leo cohabitant, quia crucem figurat arca, cujus umbra typusque cicurare ferocitatẽ, cohibere voracitatem, frenare rapacitatem brutorum animantium potest, ut doceatur homines, quàm feliciter inhumanitatẽ poneret, si Domini sui passionem ac mortem ferio crebroq; recogitarent, D. Basilij Seleuci hæc est Doctrina ita definiens: *verum age, quomodo arcæ capi poterant tot animalium genera? quomodo, qui ab ingenio inter se discordant, in nova secum fœdera concordabant? quomodo reptilium natura poterat esse pacata? quibus frænis reprimebantur ferarum genera? quomodo carni vorata cum herbilegis stabulabatur? de arca virtutum schola? de scapha admirabilis ligni salutaris umbra, & imago, quæ crucis gratiam præoccupasti. sic occupat crucis memoria animos, ut nullus ferinus prædæmonari possit affectus.*

Auditis hæc o incurij, & Passionis Iesu Christi immemores, velut Lethæo flumine poti mortales? cur immundis similes animantibus mortifero abundantis veneno plusquam serpentes, rabie sævitis ferinã plusquam tigrides, & unicornes, cæcutitis ad veritatis lucem plusquam

S. Basilij apud Sylvestr. to. 5. l. 8. c. 1. q. 11.

§. 6. Repetitio dictorum cum applicatione ad immemores Passionis.

quàm bubones, nisi quia in Dominicâ passionis linteo in crucis Arca non estis? cur proditore Juda deteriores malè partos non redditis nummos, neque ulla pœnitentiæ editis specimina, nisi quia damnatum pro vobis Iesum non recognovistis? cur crapulæ, & ebrietati à manè primo in vesperum dediti calicibus epotandis studetis, nisi quia nec horæ tertiæ, quâ Iesus ad amaram crucem damnatus, nec horæ sextæ, quâ felle, & aceto potatus, nec horæ nonæ, quâ inter immensissimos dolores pro vobis extinctus est, meminisse placet? cur non ut filij Jobi, sed ut insanus ille epulo splendide quotidie epulamini, & flammis flammis ad cruciatum æternum aggeritis, nisi quia Agnum pro vobis occisum, aut Lazarum pro vobis depauperatum, & doloribus attritum non respicitis, nec ullo cõmiserationis prosequimini affectu? Gaudent in passionis memoria Angeli, gloriantur Seraphini, cur vos meminisse piget, nisi quia non ad Angelorum choros, quibus crux honori est, sed ad legiones dæmonum, quibus horrida crux est, pertinetis? Desiderat dilectus sicut signaculum cordi & brachijs vestris imprimi, at infamem Antichristi characterem præeligitis. desiderat velut myrrhæ fasciculus inter ubera vestra cõmorari, at veneræ præplacent rosæ, quia evanidam dulcedinem amat in tempore, ut perennaturam amaritudinem sentiatis in æternitate.

O insensati Galathæ, quis vos fascinarvit non obedire veritati (non indulgere amori, non vacare gratiarum actioni) *ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est in vobis crucifixus?* videre oculis fidei exactius crucem Christi poteratis, quàm ipsi Judæi, qui Hierosolymæ cruci adstiterunt, Christum-

que in ea pendentem conspexerunt. qui ergo fascinari potuere oculi vestri, quibus ad vivum depictus est crucifixus sanguine quasi atramento, clavis, spinis, flagris, lanceâ velut calamis, ut redemptorem vestrum ante oculos pendentem non intueamini, sed vivi, recentisq; beneficij immemores à brutis animalibus, & inanimatis elementis vestram superari gratitudinem patiamini? Leo Gerasimi, Cerva Ivani, Canis Rochi, Anser Lacydis philosophi, Lupus Francisci, serpens Carbonarij Veneti ob minora beneficia diuturniorem servare gratiarum acceptarum memoriam, quàm homines (proh pudor) ob infinitum redemptionis beneficium exhibeant. Delphinus Hermiam puerum, à quo mulcebatur, ita dilexit, ut mortuo commortuus præ dolore fuerit. Aquila Virginem festonensem ob educationis beneficium aluit in vivis, se ipsam mortuæ parentavit in flammis. Levcadium Virginem ita deperit pavo, ut unâ sponte conflagraret, hæc bestiarum in benefactores gratitudo fœcordiam nostram arguit, qui passionis memoriam obliterare nitimur, neque ullo reciproca gratitudinis monumento dignamur, ô insensati! Quò quò lumina convertimus, crucis figuram aspectare cogimur, nec tamen crucifixi memoriam in animum admittimus; stellæ videri non possunt, quin Crucis simulachrum objiciant, & cum cæli linguæ sint, nobis inclamant: *in hoc signo vive & vince.* Nesciunt Aves volare in aère, nec in æquore natate pisces, nisi crucis typum expriment. quid? quòd alauda laudem crucifixi dare, & cantillare audita sit: *IESUS CHRISTUS CRUCIFIXUS.* Aves Palæstinæ totâ sacrâ hebdomadâ passionis in crucis modum passis alis immotæ, ac velut mortuæ hærent, donec ex-

P. Athanas Kirch. Musurg. L. 1. c. 14. §. 5.

Gal. 3. v. 1.
§. 7.
A brutis
memori-
am crucifi-
xi disci-
mus.

Spec. ex-
empl. di-
fincti. 9.
num. 161.

Gretferus
in hort. S.
crucis in
finc.

oriente paschatis luce suam ipsæ quoque palingenesin celebrent, & redivivis modulis applaudant re-
surgenti, quem funebri silentio plā-
xerant morientem. Cervus Eu-
stachij, cervus Huberti, Cervus
Menulphi effigiem crucifixi gestant
in capite, quam plerique mortali-
um proscribunt è corde. Ipsi quo-
que Lapides memoriam crucifixi
loquuntur, cujus effigiem Poveja-
næ, & Schapenienses petræ, & An-
næbergensis alabandicus lapis sibi
à natura impressam gestant. Quid
arbores memorem, quarum nulla
est, quæ ab arbore crucis insignia
non emutuetur. Granadillâ inter
flores quid mirabilius? omnia pas-
sionis instrumenta effigiat, ibi co-
lumnâ cum corona spinea sep-
tuaginta aculeorum, ibi flagella &
clavos, & lanceam spectare, fructus
verò totò omnino annò degustare
licet, quia nunquam sine fructu ef-
se potest passionis memoria. Non
forent tot infructuosi in orbe, nec
nisi titonibus gehennæ nati trun-
ci, si insitam sibi esse vellent cruci-
fixi Iesu recordationem. At ve-
niet aliquando dies, quando appa-
rente in nubibus signo filij hominis
iratus iudex fulmineâ exprobrabit
voce: ingratus homo oblivioni à te
datus sum, tanquam mortuus à cor-

de. quæ utilitas in sanguine meo,
in lachrymis meis, sudoribus meis,
dum descendi oblivione tuâ in cor-
ruptionem? cur gratiam fidejusso-
ris oblitus es, qui dedit pro te ani-
mam suam? oblitus es mei, & ego
tui non recordabor amplius; è si-
nu cordis tui me exclusisti, & ego à
facie vulnerum meorum in æter-
num te projicio; commisereri mi-
hi noluisti, & ego tui non misere-
bor, non parcam, nec flagellare, &
crucifigere te cessabo in æternum,
Apage infatuatè, apage belluine,
homo, & elementis omnibus insen-
sator. Nè hòc feriamur aliquan-
do fulmine, celebremus, dum vi-
vimus perpetuam *passionis Domini-
cam*, ut aliquando diem resurre-
ctionis, & gloriæ consequamur;
consilium D. Bernardi sequamur,
tempori &

*Portemus in memoria
Fel. penas, & opprobria,
Christi coronam spineam,
Crucem, clavos, & lanceam.
Hec omnia nos satient,
Et dulciter inebrient,
Nos repleant virtutibus,
Et gloriosis fructibus.*

* * *
* *
*

